

343

341

347

sapide de theologicis, philosophicis et historicis multa. Hic dixit  
mihi mirabile de quodam fluvio illius regionis, quem nominant  
Alpheum, celeberrimum carminibus poetarum, eo, quod mirandum  
cursum habeat. Emanat enim de Achajaë monte et contra mare  
decurrens, antequam mari misceatur, subintrat terram, et apud  
Syraceusas Siciliae habet exitum, et dicitur Arethusa. Sic ergo  
sub mari habet cursum suum ab Achaja in Siciliam per profundissima  
terrae longa penetralia. De hoc miraculo illius fluminis (b)  
loquitur Seneca, Ovidius et caeteri. Advesperascente autem die  
ad socios redii peregrinos et cum eis dormivi; non enim noctibus  
nisi cum eis manere volui, ne subito in naves vocarentur et  
sine me recederent. Diebus vero cum fratribus in conventu praedicatorum  
eram.

337

352

332

392

292

442

242

Duodecima die per totam praecedentem noctem fuit horribilis  
ventus, cum quo nemo aggredi ausus fuit navigationem. Cum  
ergo noctis medium esset, more solito surrexi ad dicendum officium  
matutinale, dicto autem in tenebris cursu beatæ Virginis  
coquinam intravi ad accendendum lumen et vidi ardere titiones  
sub cineribus, erant enim carbones et titiones cineribus operti, et  
tamen sub tegumento omnia viva erant; ascripsi importunitati ven-  
torum, id fieri posse, et erumpentes flamas de cineribus subjec-  
tis aliis cineribus sopivi et tamen extingue non valui. Accenso  
ergo lumine, cum matutinam legisse, compulit me naturae ne-  
cessitas ad inferiora domus descendere. Cum lumine pertransivi  
domum et in curiam, ubi locus erat, veni et sedi; me sic se-  
dente vidi per ostium, per quod exiveram, in domum et splen-  
dorem in ea, et nihil aliud suspicabar, nisi quod aliquis surrexis-  
set et cum lumine exspectaret expeditionem meam, ut et ipse  
ad idem procederet; celerius ergo me expediens domum ingre-  
diens non vidi aliquem, et circumspiciens, unde splendor emicaret,  
ecce, tristes sub foco ardere inceperant, quod ut vidi, expavi et  
eucurri ad cameram domini hospitis nostri, in qua cum aliquibus  
militibus nostris dormiebat, eumque excitans rogavi, ut citius sur-  
gens ad me exiret, etiam sine vestimento, quasi sibi haberem  
verbum necessarium loqui; nolui enim mentionem facere de igne,  
ne tumultum concitarem; videbatur enim mihi, quod eum absque  
tumultu possemus extinguere. Cumque ad me exivisset, dixi:  
ecce, domine, domus ardere incipit, ubi aqua? Et allata aqua

Ende

Anfang

